

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1241

**Auteur(s) :** Philippe d'Orne [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1263, février

**Lieu d'émission :** Feuguerolles-sur-Orne

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Philippe d'Orne vend, pour 40 livres tournois, et garantit au chapitre de Bayeux un muid d'orge sur un pourpris à Feuguerolles-sur-Orne : cette rente sera affectée à une messe quotidienne pour Guy, évêque de Bayeux, et Hugues de Maltetour, chantre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXV, t. 2, p. 193-194.

## Dissertation critique

Février 1261 est proposé par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentis et futuri quod ego Philippus de Oulna, de parrochia de Feugueroles, vendidi et concessi capitulo Baiocensi, pro quadraginta libris Turonensibus quas a dicto capitulo habui et recepi in pecunia numerata, unum modium ordeï, ad mensuram de Feugueroles, annui redditus, percipiendum et habendum prædicto capitulo de cetero annuatim, ad festum sancti Michaelis in septembri, de me et hæredibus meis, bene et pacifice, libere et quiete, super porprisio meo sito super Oulnam, in territorio de Feugueroles : quod prædictum porprisium, cum manerio et pertinenciis, sicut se porportat in longo inter berqueriam abbatis et conventus de Fonteneto, ex uno capite, et manerium quod fuit Johannis de Oulna, quondam militis, ex altero, et in lato inter aquam de Oulna, ex una parte, et kemimum per quod pergitur de Maletot ad passagium de Fonteneto, ex altera. Ego prædictus Philippus obligo et concedo prædicto capitulo ad prædictum modium ordeï ibi percipiendum et ad suam justiciam plenarie faciendam pro dicto modio ordeï habendo annuatim, libere, pacifice, et quiete, absque contradictione mei de cetero, et hæredum meorum, et alterius cujusconque. Et ego prædictus Philippus, et hæredes mei, tenemur et debemus prædictum modium ordeï garantizare, liberare, et deffendere contra omnes liberum et quietum, et prædictum porprisium ad suam justiciam pro prædicto reddito habendo annuatim plenarie faciendam prædicto capitulo, vel cuilibet alii, loco ejus, qui a dicto capitulo ad hoc fuerit destinatus, vel excambiare, si necesse fuerit, valore ad valorem, competenter in duabus culturis meis terræ sitis in dicto territorio de Feugueroles, super dictum kemimum : tali modo quod ego, vel hæredes mei, non poterimus de cetero prædictum porprisium vendere, vel alienare, vel ex aliquo reddito honerare, quin prædictum capitulum, vel ejus mandatum, prædictum modium

ordei ibi possit percipere annuatim, et suam justiciam plenarie exercere, nec etiam prædictas duas culturas, quin prædictum excambium, si necesse fuerit, ibi fiat. Et sciendum quod prædictus modius ordeï annui redditus est assignatus ad unam missam pro animabus bonæ memoriæ Guidonis, quondam Dei gratia episcopi, et Hugonis de Maldestor, quondam cantoris Baiocensium defunctorum, in ecclesia Baiocensi cotidie celebrandam. Et, ut hoc firmum et stabile in perpetuum teneatur, præsentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratiæ millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, mense februarii, coram parrochia de Feugueroles.